

Ipsè verò terrestris Æquator divisorium limitem præbet, à quo Latitudo terrestris superficiei in transversum juxta convergentes Meridianorum ductus ad vicinum usq; polum utring; per quadrantem excurrrens æstimari solet, vid. Fig. 7.

II.

Punctum Æquatoris Terrestris, ad quod Locus Terræ per Meridianum suum refertur, simili ratione Characterem situs recti largitur, in quo, vel è cujus regione, Locus ille secundum longitudinem terrenæ superficiei rectà procedendo situs esse concipitur, unde per Metonymiam Longitudo Loci dicitur. Distantia verò, quam Arcus Meridiani locum inter & Æquatorem interceptus metitur, Loci Latitudo vocatur, quæ tanta semper est, quantum polus supra Loci Horizontem elevatur, unde Latitudo Loci sæpius etiam Elevatio Poli dicitur.

Problema IV.

Cujuscunq; Loci Terræ Latitudinem, itemq; Characterem situs in longum, sive Longitudinem, per Globum terrestrem definire.

Adplicetur Locus ad Meridianum, & imminebit eidem gradus Latitudinis quæsitus: Ipse verò Meridianus in Æquatore designabit Characterem seu Longitudinem quæsitam.

III.

Sicut autem Sol. 24. horis totam spatii mundani Longitudinem, omnesq; circulos horarios ibi descriptos; & proinde totam Terræ Longitudinem, omnesq; Meridianos illis horariis directè subjectos, successivè transeundo perlustrat: ita singulis horis 15. gradus Longitudinis percurrendo facit, ut quæ loca totidem gradibus orientiora sunt, Meridiem unâ horâ citius habeant, quàm tot gradibus occidentaliora. Cumq; Meridiem sequatur numerus horarum, facile patet, omnes horarum numeros in locis orientioribus eodem momento tot unitatibus esse majores quàm in locis occidentalioribus, b. e. omnes horas illic tot horis anticipare, quoties 15. gradus Longitudi-

gitudi-